



Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius
foundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum
MCCCLXX. II. Coenobii ...

Trithemius, Johannes

Francofvrti, 1601

LXV. Iohannes Trithem. Ab. Spanhem. Dilectissimis in Christo filiis
synceram in Domino charitatem.

urn:nbn:de:0128-1-17336

nondum apud nos in catalogum sanctorum videatur adscriptus Benno, quem regnare cum sanctis in cœlo non dubitamus, ab eis veneratione cogamur desistere, neque suffragia tanti viri nobis liceat inuocare. Sed cum vita eius sanctissima plena virtutibus à veterioribus suisque contemporaneis luculenter habeatur descripta, & multa quotidie in Ecclesia Misnensi ad eius tumulum fiant miracula, Christianitatis amator, cultor, atque defensor integerrimus & Christianissimus princeps Saxonum, Misnensiumque Dux memoratus Georgius, pia deuotione motus, pro eius canonizatione laborandum duxit, & commissarios qui examinarent singula, à tua sanctitatis prædecessore Alexandro Papa sexto impetrauit. Alexander vero morte sublatus expedire negotium diui Bennonis non potuit, & forsitan non debuit, propterea quod diuina prouidentia tanti viri honorem tuis temporibus deputauit, tibi que amicissimum sibi præfulem sanctorum adscribendum caralogo referuauit. Quocirca tuam sanctitatem beatissime pater qua possumus humiliter rogamus, Bennonem apostolicum virum nobis venerandum concedas, eiusque nomen cum sanctis Dei cōfessoribus celebrandum inscribas, & quod tuo muneri referuatum est, in gloriam alterius non patiaris deuenire. Crede mihi pontificum maxime, Bennonem conferendo patribus diuis cultum Dei non mediocriter ampliaueris, tuo quoque celeberrimo nomini sempiternam apud Saxones memoriā comparabis in terris, & diuo interueniente Bennone, pro ampliato cultu diuino bonam recipies mercedē in cœlis. Hoc vnanimiter à tua sanctissima maiestate petimus omnes quoque diui Bennonis merita vel in nobis vel in alijs sumus experti. Exaudiamur à te clementissime pater iterum atque iterum rogamus, faciesque rem gratam Deo, vtilem & honestam populo Christiano, & supplicantibus nobis perpetua gratitudine memorandum. Omnipotens Deus, cuius vicarium agis in terra beatitudinem tuam ad nostram salutem diu conferuet incolumem. Ex Budor. 21. mensis Iulij anno Christianorum 1506.

L X V.

IOHANNES TRITHEM. AB. SPANHEM. DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS SYNERAM IN DOMINO CHARITATEM.

QUAM mutentur cito mentes hominū quotidie satis experimur, non solum in extraneis, sed etiam quod valde miramur in vobis, si tamen vera sunt quæ nobis per Priorem vestro sunt nomine relata. Ad monasterium reuertamur oratis, & obstacula quæ mentem nostram non immerito offendunt, quod sæpe mandauimus, necdum abstulistis. Cogitate fratres cui potius hæc vestra negligentia nocere possit. Non existimetis me anhelare ad Spanheim, qui alibi mihi cum Dei auxilio facile melius possum provideere. Vestri tantum misereor, vos inuitus desero, quos in Christo congregans enutriui. Quod si mihi per vos data fuerit occasio qua vos iuste deserere possim, scientes scitote quia nunquam in æternum ad vos redire consentiam, sed fortunam sequar oblatam. Quam temeritatam nobis iniuriam fecerint æmuli non ignoratis, licet ipsi nunc dicant, nihil se in odiū nostri cogitasse, sed in illos potius cœpisse iniuriam, qui minas abbati Moguntino intulerunt. Quod vero consulitis Duci literas scribamur supplicatorias, est causa nos prohibens, maxime vero manifestum, quod nihil in eum peccauimus vnquam, ipse vero in nos cuius sit animi, & quam ob causam, nos non latet. Vos autem quod bonum vobis videtur cum illo agite, nos quidem ad eum pro nobis non scribemus. Complacuit autem nobis non absque ratione, causam differre omnem vsque ad capitulum annale, quod in proximo celebrabitur apud Moguntiam, quo & patrum exploremus sententiam, & eos in rem ardua noluisse præterire comprobemur. Interea paululum sustinete, quoniam celebrato capitulo vobis mentem nostram opere faciemus manifestam. Valere & pastoris vestri memoriā ad Deum habetote. Ex Budori 6. die mensis Iulij anno Christianorum M.D.VI.

L X V I.

IOHANN. TRITHEM. AB. SPAN. IACOBO WIMPHELINGIO SELESTADIENSI AMICO S.

IN toto biennio nunquam mihi data fuit occasio qua tibi certo scribere possem, bello in nos seuiente grauissimo, & magnam rebus nostris mutationem, Deo sic permittente, sumentibus. Nam anno salutis nostræ quarto supra quingentesimum atque millesimum